EPISTOLA


PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM UNIVERSUM

CENETENSIS

DIOECESEOS



ROMAE
EX TIPOGRAPHEO J. B. ZAMPI ET C.
MDCCCXLIII

MANFREDUS BELLATI

PATRICIUS FELTRIENSIS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS CENETAE

VENERABILIBUS FRATRIBUS, ET DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS
CLERO ET POPULO SUAE DIOECESEOS.

SALUTEM ET BENEDICTIONEM

 *altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei!* Quum indignum prorsus me existimarem, qui praeclarissimi Antistitis Aloysii Zuppani vicaria procuratione in Dioecesi Feltriensi fungerer, ejusdemque Dioeceseos, vacante sede, administrationem susciperem, accidit, ut benignitate plane singulari munificentissimi Imperatoris et Regis FERDINANDI I. ac GREGORII XVI. auctoritate et jussu ad Cenetensem Episcopatum evectus fuissem. Infirmitatis meae conscius id numquam vel animo conceperam; atque ideo quin de sublimiori gradu, ad quem erigebar, gauderem, tristissimo omnigenorum, quae undique ingruebant, periculorum adspectu, perterritus, *laborabam in gemitu meo, lavabam per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabam.* Superiori enim regimine satis perspicere potui, qualem deceat esse Episcopum, *quem Spiritus San-*

ctus posuit regere Ecclesiam Dei. In mentem siquidem revocans SS. Patrum sententias non potui, quin dignoscerem, Episcopatum esse magis nomen oneris quam honoris, laboris quam dignitatis, martyrii quam requiei et deliciarum. Quamobrem trepidabat et expavebat cor meum, ne ad aliarum animarum salutem missus, perderem meam, atque sub hoc onere Angelicis etiam humeris formidando corruens, ipse reprobus efficerer. *Novimus*, ut ajebat Chrysostomus, *animi nostri vires quam sint exiguae; novimus quanta sit illius functionis moles, novimus quam ingens negotii ipsius difficultas. Fluctus enim Episcopi animum concutientes, ventis mare identidem conturbantibus, crebriores infestioresque esse solent*. Jam vero magna jactatus tempestate expandi manus meas ad Deum, cui mare et venti obediunt, quique motum fluctuum maris mitigat, atque illum enixe deprecatus sum, ut imperaret et fieret tranquillitas mihique, ut Petro quondam periclitanti, caelestis auxilii dexteram porrigeret. Una hac recreor spe, eaque fretus cursum meum feliciter consummaturum fore confido.

Haec praemittenda esse putavi, ne unumquemque vestrum lateret, me Episcopatui manum coaptasse, et jugum subiisse, ut Imperatoris ac Regis pientissimi jussa facerem, et parerem Catholicae Ecclesiae Gubernatori Summo, cui potestatem dedit Deus segregare homines *in opus ministerii, et mittere operarios in messem suam.* Sicuti enim periculose ambulare dicitur, qui sumit sibi honorem non legitime vocatus, ita in Patris reverentiam peccare videretur, qui immoderato praepeditus ti-

more, aut retardatus pigritia, justaque excusatione destitutus, respueret gratiam, officiumque recusaret.

Nunc autem perhumaniter ab ipso Divi Petri Successore in alma Urbe exceptus, ejusque auctus muneribus, et per Eminentiss. ac Reverendiss. Dominum Constantinum Patrizi S. R. E. Cardinalem amplissimum Sacro Chrysmate delinitus, atque manuum impositione corroboratus, ad Vos, Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi, prompto hilarique animo per epistolam venio, vosque omnes quam libentissime adeo in *simplicitate sermonis, et in extensione spiritus et virtutis.* Fassus enim ingenii mei exiguitatem, ac recogitans *omnes annos meos in amaritudine animae meae*, dicam laudem Deo, qui saepe numero contemptibilia et ea quae non sunt eligit, ut omnipotentiam suam manifestet, meque suscipiens ostendit, quod *Spiritus suus ubi vult spirat, et suscitare potest ex lapidibus filios Abrahae.* Testis igitur est mihi Deus quomodo cupiam vos omnes in visceribus Christi, quomodo cor meum mira quadam ardeat cupiditate Ecclesiam mihi traditam adeundi, et Filios meos alloqui, in Christo amplexandi, bene omnibus et prospera adprecandi, luculentaque significandi charitatis argumenta. Quibus sensibus affectus omnino essem, etiamsi malos vos esse compertissem, et ingratos. Id enim fecit et Dominus, qui *cum essemus inimici, ipse prior dilexit nos.* Nunc autem quoniam multas mihi probationes benevolentiae et amoris obtulistis, atque adeo perspectum exploratumque habui vos ingenii docilitate, omnimoda virtutis laude, morum probitate, pietatis ac doctrinae stu-

dio enituisse, mihi augurari fas est, vos etiam in posterum virtutum omnium ornatu praestituros. Accedit, ut Dioecesi illi regendae praeficiar, quae Sacrorum habuit Antistites sapientia et pietate illustres, qui nullis neque curis, neque laboribus sibi parcendum esse duxerunt, ut vos ad omnem honestatis, rectaeque morum disciplinae rationem fingerent, mihique satis fuerit, Jacobum Monico Venetiarum Patriarcham, magis virtutibus quam Romana fulgentem purpura, honoris caussa nominasse, nec non Bernardum Antoninum Squarcina ad Adriensem Sedem mox translatum, qui zeli sui non interitura apud vos monumenta reliquit. Quae omnia mecum ipse reputans in eam profecto spem ingredior fore ut pastorale munus, quod primo adspectu grave nimis videbatur, levius aliquando evadat. Non enim dubito, quin Pastoris vestri vocem et monita laeto animo excipiatis, eaque diligentissime perficienda curetis.

Ego quidem ad vos veniam non jam ut dominans in Cleris, sed ut Pastor, quinimo Pater amantissimus, et Deo juvante, in cujus manibus sortes meae, quantum cura, labore, vigiliis, auctoritate, consilio valebo, nihil unquam inausum, nihilque intentatum relinquam, quod ad vestram salutem, et animarum vestrarum rationes pertinere arbitrabor, paratus etiam omnia perpeti. et vitam ipsam profundere pro animabus vestris. Neque aliter possem Pastorum Principis exemplum intuens, qui eousque dilexit nos, ut cum in forma Dei esset non solum exinaniverit semetipsum formam servi accipiens, sed etiam factum pro nobis maledictum, *tradidit semetipsum pro nobis oblationem*

Deo in odorem suavitatis. In Christum Jesum itaque continenter, ut par est, respiciens, quid mihi unquam aut negligendum, aut non tentandum pro viribus putem, ut vos enutriti magis in dies verbis fidei crescatis in scientia Dei, et gratiarum charismate confirmati, alacri et inoffenso pede incedatis per semitas Domini? Si quid vero infirmum forte reperiam, dabo operam, ut consolidem, si quid devium ut reducam, si quid confractum ut alligem, si quid aegrotum ut sanem, si quid perditum ut quaeram, semper tamen, quantum officii ratio sinet, in patientia, in mansuetudine, in lenitate. Neque enim vel transversum quidem unguem ab Sacrosancta Tridentina Synodo discedendum mihi esse duco, ut animarum pastores ex Apostoli praecepto, *arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe erga corrigendos plus agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus charitas, quam potestas.* Utinam qui dat mihi nunc velle, det etiam in tempore perficere, ut Pastorum Principi villicationis meae rationem aliquando exigenti respondere verissime possim: *quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam.*

Hic autem scribendi finem facerem, si me sineret modo paternus in vos animus, qui diutius morari vobiscum avet, et singulis quibusque civium ordinibus peculiarem aliquam amoris et benevolentiae significationem exhibere. Et primum quidem vos alloquar, spectatissimi Ecclesiae Cathedralis Canonici, qui et meae sollicitudinis socii, et laboris mei adjutores eritis, in quibus firmissimum mihi subsidium ad tantum onus sustinen-

pum datum esse confido. Quare cum gravissimum aliquod negotium pertractandum, vel consilium aliquod capiendum fuerit, vestram rogabo sententiam. Quod officium vos recte peragetis, qui summam doctrinae praestantiam cum omnigena vitae sanctitate conjungitis. Non peritura sane laus erit Capitulo vestro, e cujus gremio tres sapientissimi viri duobus ab hinc annis prodiere, qui ob eximia merita in Episcopatus ordinem fuerunt adscripti. Alter quidem Astensi datus est Dioecesi, alter designatus Adriensi, insigni animi moderatione usus, oneri cessit pariter, et honori: postremus vero in Antistitem renunciatus, praesentem, qua moeret, patriae meae nec non Belluni viduitatem, in laetitiam vertet jucundissimam. Vos igitur munia vestra exercebitis, eo charitatis fervore inflammati, ut sitis lux, quae lucet coram hominibus, qua cum ipsi se illustratos senserint, laudem de tanto beneficio Patri Caelesti perpetuo reddent.

At nihil non felix faustumque a vobis ominor, Pastores animarum, de quorum virtutibus fama ad aures meas praeclara fidelisque pervenit. Vos qui in ministerii mei partes vocati estis, vestra studia, curas, cogitationesque omnes simul conjungite. Tamquam pro Christo legatione fungentes in omnibus sanctitatis ipsis specimem praebete. Catholicae fidei praeceptis, et mysteriis imbuite commissos vestrae curae populos. Doctrinae Christianae scholas, earum frequentiam studium progressionesque urgete. In omni patientia et labores arguite, obsecrate, increpate. Pastoralem vocem ovibus numquam subtrahite. *Sit sermo vester vivus et efficax non in persuasibilibus huma-*

nae sapientiae verbis. Detecta vobis miserorum vulnera, ut pius ille Samaritanus alligate, vino et oleo fovete, non aceto, ut ita dicam, exasperate. Plurima quidem bona a vobis mihi polliceor, certoque spero, quos magna animi cum voluptate novi optimis disciplinis iustitutos. O me vere beatum! Enimvero Clerus hujusmodi ad omnem probitatis, pietatisque formam comparatus, Christi bonus odor efficiatur, oportet. Enitiminor itaque, Sacerdotes, verbo et exemplo, ut habeat populus proposita in vobis, quae capiat documenta virtutis. Ita non solum mihi, Ecclesiaeque adjumento, sed et *Deo acceptabiles eritis, bonorumque operum sectatores.*

Quibus vero utar verbis, ut vestram in litteris ac scientiis exaequem peritiam, vestramque patefaciam pietatem, optimi ac mihi carissimi Professores, conspicui istius Seminarii praesidium, Civitatis decus, atque adeo totius Dioeceseos ornamentum? Vobis difficillimum concreditur instituendae juventutis munus, in vos parentes amantissimi, Patria, quae communis est omnium mater, Religio, oculos convertunt, ac per vos dulcissima sustentantur spe fore ut aliquando lectissimum, quod adolescit juvenum agmen vel inter domesticos parietes timorem Domini edoceat, vel civicos iniens magistratus viduam orphanum ac pupillum tuetur, vel in scholis sapientiae fulgorem diffundat, vel in Ecclesiis *exaltet, quasi tuba, vocem suam, et annuntiet populis peccata, et domui Israel delicta.* Eja agite ergo nova in dies virtute, adolescentes: studiorum curriculum ingressi *exultate, ut gigantes, ad currendam viam:* vestrorum sequi-

minor magistrorum veluti nobilium ducum vestigia. Eosdem unusquisque vestrum imitatus et civilis et christianae Reipublicae honorem atque utilitatem capesset. Quae ut prospere contingant, *levate oculos vestros in montes, unde veniet auxilium vobis*, animo reputantes, *quod omne bonum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, pavete ad Sanctuarium, quod sibi Deus elegit et sanctificavit in domum, ut esset nomen ejus ibi in sempiternum, oculique et cor permaneant cunctis diebus, obedite praepositis vestris*, qui Dei cives gerunt, quique eruditi omni sapientia, cauti scientia, docti disciplina, virtutum omnium laude praestantes bono sane consilio afficiunt, ut istud, quod incolitis, litterarum domicilium, caelestem praeseferens pompam, et mysticis fulgens ornamentis, tamquam Paradisus Domini exurgat. Sic haud erit praedicandum de vobis, quod *multiplicetis gentem sed non magnificetis laetitiam*. O habitaculum, quo mihi carius nullum, quodque continuo ut pupillam oculi custodiam! Quam mihi speciosum videris? Tu es profecto *hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Fons hortorum: puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano*. Quamobrem non possum quin magna quadam ac poene incredibili animi mei laetitia exclamen: *Surge aquilo, et veni auster, perfla hortum, et fluent aromata illius. Dilectus descendat in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.*

Maxima quoque animi voluptate accepi duo extare in Dioecesi religiosorum Patrum instituta, quorum alterum S. Francisci de Observantia, Cappuccinorum alterum: Regulares homines, qui in Ecclesia Christi auxiliarium copiarum tenent locum. Vos. relictis omnibus, sequuti estis Deum, atque ab hominum caeterorum convivio sejuncti, veluti Moyses in altum ascendistis, ut Divino afflati colloquio, aliis usui et emolumento adsitis, qui inter aerumnas jactati ad beatitatis portum aegerrime contendunt. Quapropter *cum bonum sit habitare fratres in unum*, fide ac mente praestare satagite, ut vita vestra aliorum sit eruditio, et assidua salutis praedicatio.

Honoris caussa nunc vos appello, integerrimi Magistratus, qui summa cum laude in mea Dioecesi, Regis nomine, quae temporalia sunt gubernatis, vosque omnes, qui majorum commendatione, opum copia, generisque nobilitate excellitis, Optimates. Nobis contra ingruentem malorum luem, quasi contra hostem teterrimum strenue est decertandum: hinc veluti boni milites Christi dexteras surgamus invicem, ut victoriam reportemus. Ego instar Moysis *stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea, et levabo manus, ut vincat Israel... Aaron quoque et Hur sustentabunt manus meas ex utraque parte, ne lassentur usque ad occasum solis:* vos vero utpote Dei ministri, vindices in iram ei, qui agit malum, morem Josue gerentes, *egredimini pugnantes contra Amalec, fugantes eum, et populus ejus in ore gladii.* Ex hoc fiet, ne pauperes a potente vexentur, ut viduae et pupilli opem et tutelam inveniant, mo-

rum licentia comprimatur, vitiorum seges arescat, publica securitas adseratur, utque *misericordia et veritas sibi obviantes, justitia et pax osculatae* humanam in terris pariant felicitatem.

Sed jam ad vos omnes patet os meum, dilectissimi in Christo Filii, cujusvis ordinis, aetatis, sexus, et conditionis. Et primum quidem vos hortor, immo oro et obsecro, ut fidem, sine qua impossibile est placere Deo, vel diligentissime custodiendam curetis, quam singulari Dei beneficio a majoribus vestris accepistis. Et quoniam fides sine operibus mortua est satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Sanctissima Dei mandata, et Ecclesiae praecepta naviter colite: Sanctificate sabbatha Domini, *pavete ad sanctuarium ejus, et quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate, haec agite. Mortificate membra vestra, fornicationem, immunditiam, concupiscentiam malam: inimicitiae vero, contentiones, emulationes, irae, rixae, dissensiones, homicidia, ebrietates, comessationes, scurrilitas, blasphemia, turpiloquium, nec nominentur in vobis, sed induite sicut electi Dei viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet quaerelam. Super omnia autem haec caritatem habete, quae patiens est, et benigna, non agit perperam, non inflatur, non aemulatur.*

Quae omnia ut assequi et perficere possitis, orationibus erit vobis continuo vacandum, quibus Divina impetretis auxilia, *nam qui petit, accipit, quit quaerit, invenit, et pulsanti aperietur.* Atque ut facilius nostris Deus annuat votis, deprecatricem apud ipsum adhibeamus Deiparam Virginem, quae dulcissima omnium nostrum parens ac tutela, et cujus numini Cathedrale templum proavi dicarunt. Precaminor etiam illustrem Patronum S. Titianum Episcopum, nec non Caelites omnes, illosque praesertim, quorum exuvias colitis et religiose asservatis. Dum vero preces ad Deum funditis, numquam rogare desinite pro Sapientissimo Hierarcha GREGORIO XVI, quem manus Dei altissimi ad Ecclesiae suae regimen et praesidium hisce temporum calamitatibus extulerat, tum pro Augustissimo Imperatore ac Rege nostro FERDINANDO I, sceptri non minus quam paternarum virtutum haerede. Efflagitate etiam, ut sospitet Deus Proregem nostrum RAINERIUM, Principem numeris omnibus absolutum, ac universam Austriacorum Familiam, quorum mitissimum ingenium, pietatem, summamque prudentiam omnes jure meritoque admirantur. Sed pro me quoque orate a Deo impetrantes, ut manum suam mihi porrigat, vires adjiciat, clemens aspiciat, ministerii mei tempora aedificationi vestrae adstare velit, utque possim verbo et exemplo prodesse, et ad vitam vobiscum pervenire sempiternam.

Haec habui, Fratres, Filiique dilectissimi, quae pro re et tempore ad vos nunc scriberem. Interea vobis omnibus paternam impertior benedictionem, et Deum enixe deprecor, ut gra-

tia Domini nostri Jesu Christi, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

Datum Romae extra Portam Flaminiam die XIV Maji, anno MDCCCXLIII, ipsa consecrationis die.

